

etiam, quum has terras incolentes, circumfusi erant caligine, tamen acie mentis dispicere cupiebant.

(Off. I. 4 vide infra)

Nat. Deor. II. 13. Etiam si a primis inchoatisque naturis ad ultimas perfectasque volumus procedere, ad deorum naturam perveniamus necesse est. Primo enim animadvertimus, a natura sustineri ea, quae gignuntur e terra, quibus natura nihil tribuit amplius, quam ut ea alendo atque augendo tueretur. Bestiis autem et sensum et motum dedit, et cum quodam appetitu accessum ad res salutare, a pestiferis recessum: homini hoc amplius, quod addidit rationem, qua regerentur animi appetitus, qui tum remitterentur, tum continerentur. Quartus autem gradus et altissimus est eorum, qui natura boni, sapientesque gignuntur: quibus a principio innascitur ratio recta constansque, quae supra hominem putanda est, deoque tribuenda, — in quo necesse est perfectam illam atque absolutam inesse rationem.

Senec. Epist. 76, Nro. 6—8. Id in quoque optimum est, cui nascitur, quo censetur. In homine optimum quid est? Ratio: hac antecedit animalia, deos sequitur. Ratio ergo perfecta, proprium hominis bonum est: cetera illi cum animalibus satisque communia sunt. Valet? et leones; formosus est? et pavones; velox est? et equi; non dico, in his omnibus vincitur. Non quaero, quid in se maximum habeat, sed quid suum. Corpus habet? et arbores; habet impetum et motum voluntarium? et bestiae et vermes; habet vocem? sed quanto clariorem canes, acutiorem aquilae, graviorem tauri, dulciorem mobilioremque lusciniae? Quid in homine proprium? Ratio: haec recta et consummata felicitatem hominis implevit.

Tusc. II. 21, 22. — Est animus in partes tributus duas: quarum altera rationis est particeps, altera expers; quum igitur praecipitur, ut nobismet ipsi imperemus, hoc praecipitur, ut ratio coërceat temeritatem. Est in animis